rùm poſita prodigia ſuper terram, in cadaveris ſingulariſsimam gloriam: equidem etſi pondere corporis terram calcet; ſemita in pedibus eius non apparebit. Eſt ibi, quin ibi ſit. Corpus viventis avidè ſecutum cor; ut mirabile in morte clareret; quod fecerat in terra cum adhuc viveret: quippequàm eius emortua membra, vel in profundo terræ; in ſignum actæ vitæ cernunt terram de longè.

Iſai. 11. 10.

24 Honor Chriſti ſepulchri ſplendet in ſpelunca Hieronymi. *Erit ſepulchrum eius glorioſum*: dicitur per Prophetam Evangelicum. Hieronym. *Epiſt.* 17. *Erit honor.* Unde ſplendor? Ex modo, quo cadaver iacebat in ſepulchro: equidem ſi ſepulchrum deſtinatur ne conſtet conditio carnis poſt ictum fatalem mortis; viſa cum honore gloria in ipſamet ſepultura, viventis ſine vita ſervans ſingularem dignitatem; quia cadaver in ſepulchro neque vidit corruptionem. Iccircò Magdalenæ dicitur: *Mulier, quid ploras?* Situs non ad fletum, ſed ad gaudium, ni aromatum deploretur diſpendium: etenim nil neceſſarium in cadaveris uſus; cum iaceat in ſepulchro, quaſi non eſſet mortuus. *Quid ploras?* Nil eſt, quo poſsis excitare lachrymas, cum poſsis videre ſepulchrum, honore ſummè glorioſum: igitur ipſo charactere, veſtigio mortalitatis, nec veſtigium corruptionis. Inter Hieronymi encomia legitur apud Euſebium, d. *Vir ineffabilis, virtutum vas admirabile, ſplendor patientiæ, lampas præfulgida, diadema honoris & gloriæ, exemplar innocentiæ, columna aurea, Agnus innocens, lapis firmiſsimus.* Unde conſtabat pretioſitate & ſplendore glorioſus, atque mirabilis in prodigijs inſuetis? E ſepulchro. Glorificatur ſingulari titulo lapidis in monumento.

Incorruptum invenitur.

Ioann. 20. 11.

Encomia eius.

Euſeb.

25 Pende prædicta miracula Zachariæ in lege expectata gratiæ. *Rex tuus veniet* (dicit Synagogæ) *& ſalvabit; quia lapides ſancti elevabuntur ſuper terram eius.* Hi lapides dicuntur, in quibus ſcripta erat lex, ut præcipitur, *Deuter.* 27. à 2. qui quidem etiam appellati *Signa* terminorum, *Pſalm.* 64. 9. deiecti à Chaldæis, pro quibus ſuffecerunt ſimulacra; qua de cauſa dicit querulus David: *Poſuerunt ſigna ſua, ſigna.* Pſalm. 73. 5. Unde Doctiſs. Sanct. in *Iſai.* 54. n. 40. ait: *Lapides erant execrabiles. Illorum ergo loco electi & erecti deſiderabiles lapides, qui divinam contineant legem, & alios ſuæ Religionis admoneant.* Pro ſignis fidei, ſigna ſua, quaſi fidei ſigna, poſuerant hæretici: advenienteque Hieronymo, elevati qui deiecti lapides; quia cum eo ſtetit firmiſsime vera fides, recta lex, & ſuæ documenta Religionis: ita ut in erecto, qui toties deiectus, lapide, à cunctis legeretur forma vitæ. Ergo in propoſitum. *Lapides ſancti elevabuntur ſuper terram.* Morte ac ſepultura Hieronymi, videtur hoc prodigium ſingulare: igitur prodigium inſuetum inter prodigia; quod cum in terra iaceret, elevaretur à terra. Uti lapis præ pondere in monumento erat corpus, ſed lapis ſanctus; ob cuius gloriam, perpetranda prodigia ſuper terram: equidem prodigium, quòd (cum corpus eſſet mortuum, & in terra ſepultum) corporis pondere, non iaceret in terra; ſed elevatum ſuſpenderetur in aere. Ubi ſepultum cadaver, nonnumquàm eſt terra ſuper. Inſueta ſigna videnda Hieronymi ſepulturà, dum terra recedit, in qua lapis ſanctus iacet: etenim propter corporis gloriam, etiam ſepultum elevatur ſuper terram.

Zachar. 9. 16.

Deuter. 27. 2.

Qui lapides termini Iſraelis.

Sanct.

Fides & religio reſtituta à Hieronymo.

Intra circulum terræ, corpus in aere.

26 Multa prætermitto invitè, quia tempus breve, in encomia virtutum Doctoris Maximi; quem ſapientia incomparabilis conſtituit in Eccleſiæ Doctorem, ut tot chariſmatibus è cœlo dignatus interpretaretur legem, & nobis Monachis doceret mirabilem ſanctitatem. Expoſui, quomodò cum ſapientia deduxit, felicitatem oſtendit, regimen tribuit, labores honeſtavit, & illos beatitudine complevit. Via utique ſera nimis, ſed famà ac laude perenni. Dicam cum Lucret. 5. de *Natur. Rer.* à verſ. 3.

Officia ſapientiæ cum Hieronymo.

Quiſve valet verbis tantum, qui fundere laudes
Pro meritis eius poſſit, qui talia nobis
Pectore parta ſuo, quæſitaque præmia liquit?
Nemo, ut opinor, erit mortali corpore cretus.
Nam ſi ut ipſa petit maieſtas condita rerum
Dicendum eſt; Magnus *ille fuit,*
Qui princeps vitæ rationē invenit eam, quæ
Nunc appellatur Sapientia: quique per artem
Fluctibus è tantis vitam, tantiſque tenebris,
In tam tranquillo, & tam clara luce locavit.

Lucret.

DIDASCALIA VI.

Dignitatis inſignia, non ſunt merita.

1 INnuit apertè noſtra Tautologia. *Parvus & modicus, nequaquàm multus.* Quo ergo intuitu additur: *Nequaquàm multus*; ubi Moab non tàm modicus, quàm parvus? In optabilem prudentiam (partis dignitatibus à fortuna) deſipientium; denuò regeritur argumentum ſuppoſitum: etenim in dignitate ex dignitate non multus; qui dotibus congruis atque meritis parvus. Nihil magnum ſine magnitudine, nihil celſum ſine ſublimitate; quippe qui nanus, etiam nanus in monte; iacetque, etiam ſuperpoſitus pyramidi. Altitudo ſublimium profectò à ſe: qui infulis honoris, magni; non magni ſunt. Parvi ſanè in dignitate ſuperiore, & non plus; ni plus, ſine dignitate. Multus quis, vel parvus; dicet in regimine munus: etenim in illo videtur, quis ſit dignus, vel indignus. Dignus & multus, ſi eius aſſumuntur merita: indignus, ubi non merita aſſumuntur, ſed munera: equidem cùm ad dignitates ſin merita dotes; erit parvus multitudine dignitatum; indignè aſſumptus parvitate meritorum: & extenſio ex vanitate læſæ phantaſiæ fatuitas; quippe extra nidum in plauſum extendit alas. Imitatur apodes in volatu velociores. Hæc avis pedes breviſsimos habet, ſed pennas longas extendit, ſæpeque volando cadit. Non ſecùs accidit indignis, à fortuna utcumquè elatis: etenim diſtortè ſine ruina ei alis congruent volatus, qui nequit ſtare pedibus. Vernacule: *Mal podrà entre los dignos volar, quien con las alas que tiene, no puede tenerſe en pie.* Plin. *lib.* 10. cap. 39. *Aut pendent, aut iacent*: ait. Perpropriè in indignos, ſolicitantes ſine dotibus volatus. Vel iacent in terra, vel pendent à lubrica, inſidiatrice fortuna: quæ quidem uti multivola, ut ex volatu phantaſia indignorum præceps iaceat; in ludibrium per iocum alas callidè ſecat.

Iſai. 16. 14.

Nil magnum ſine magnitudine.

Indignus cōfertur apodi.

Plin.

—— Si profeſſus grandia turget,
Serpit humi.

Horat. de Art. v. 27.

2 *Gigantes ſtaturà magna*: dicit Propheta. Quorsùm ſpecimen altitudinis, ſi gigantes? Ut exulet ineptorum ſota blandimine vanitas, quaſi pygmæis tribuat proceritatem meritorum dignitas; dum ſibi videntur quaſi celſiores meritis, quia ex dignitate celſiores: & qui dotibus proceres, ſtaturà ſublimi celebrantur ut gigantes; quia non excelſi gigantes ad magna munera, ni ſint per dotes ſtaturà magnà. Vafrè philautia & ludicro plauſu ſeductricis phantaſiæ, pervertitur ex allucinatione procera ſublimitas dignitatis, & meriti; ut qui venerantur ſedis thronum, ſedentem iudicent magnum (cùm iurè ſeſe ſine meritis retur, qui indignè ut Superior elevatur) & ubi magna merita, iurè ſignantur ſtatura magnà; quoniam ubi in magnis deſciſcit meritorum exiguitas, non illorum ſed tantùm dignitatis ſupereminet proceritas. Solio ſunt magni, præclaris inſtrumentis pygmæi: profectòque vel in culmine ſtatura breves, non gigantes; qui metiuntur procoritatem culminum ſtaturà dignitatum: miſerèque falluntur ex faſtigio celſitudinis; quùm ſtaturà brevi cupiunt videri gigantes. Huiuſmodi peſtem Reipublicæ taxat Hieronymus, *Epiſt.* 51. *Inventus eſt homo abſque præceptore perfectus, pneumatophoros, entheos & autodidatos; qui eloquentià Tullium, Ariſtotelem argumentis, prudentià Platonem, eruditione Ariſtarchum, multitudine librorum Chalcenterum* (ideſt Origenem) *Didymum ſcientià Scripturarum, omneſque ſui temporis vincat Auctores ::: Si applosiſſet pedem, intendiſſet oculos, rugaſſet frontem, iactaſſet manum, verba tonaſſet; tenebras illicò ob oculos offudiſſet.* Iò. Suis coloribus pingit huiuſmodi riſibiles ardeliones, lucentes tenebris; quippe fatui arbitrantur per dignitatem inventam vel raptam, ſcibilium ad theatrum inveniſſe encyclopediam. O quantum eſt in rebus inane! Cerebrum vaporat futile: & ut mens reſtituatur è ſolio, indiget elleboro. Error & inſania. Dicit Horatius, 2. *Epiſt.* 1. à verſ. 27.

Baruch. 3. 26.

Fallit æſtimatio ſui.

Magnitudo honoris nō eſt regentis.

Hieronym.

Deſcriptio infatuati dignitatis ſplēdore.

Dictitat Albano Muſas è monte locutas.
—— Non eſt quod multa loquamur.
Venimus ad ſummum fortunæ.

Horat.

3 Quos hæc comitatur fatuos reddit attonitos. Sunt in proſcenio ad ſcenam, & perſonati agunt fabulam, *Elati inceſſerunt & cothurnati: excalceantur & ad ſtaturam ſuam redeunt* (inquit Seneca, *Epiſt.* 76.) *nemo iſtorum, quos honores in altiore faſtigio ponunt, manus eſt. Quare ergo manus videtur? Cum baſi illum ſuà metiris. Non eſt magnus pumilio, licèt in monte conſtiterit. Coloſſus magnitudinem ſuam ſervabit, etiam ſi ſteterit in puteo. Hoc laboramus errore. Neminem æſtimamus, eo quo eſt; ſed adijcimus illi, & ea, quibus adornatus eſt. Ponat honores, & alia fortunæ mendacia.* Quid tunc? Apparent bardi, ſimij, breviſsimi pumiliones, qui grallis honoris eminebant gigantes: parvi, modici, nequaquàm multi; quippe excalceati per fortunam inſanam, qui cothurnati ad ſuam revertuntur ſtaturam: etenim ubi indigni ex inſulis non ſplendent; ut videantur, nec apparent: maximè quia tumidi ex vanitate, ubi videntur, frequenter inviſi. Aliquid ſibi dumtaxàt munere ſunt, cæterùm alijs nequid. Nec quid, quippe non à ſe: & ut in *Andria*, Act. 2. ſcen. 1. v. 14. accinit Terentius:

Senec.

Qui cothurnati honoris grallis, ſunt puſilli ſine cothurnis.

Id aliquid nihil eſt.

Terent.

Ni-

Unde hoc aliquid ſibi eſt?

Nihil in commendationem momenti; igitur quicquid ex inſulis, flocci; futilitas pompoſa criſpuli titivillitij (ſine quiditatis ſucco, quia à levi rapitur vento) ſincipite vacuo, terebrato cerebro, ac cranio ſine iudicio, ubi caput ſine capite; quoniam quæ fortuitò in faſtum venerunt ex accidente, arbitrantur reflectenda prædicamento ſubſtantiæ. Unde ſine honoris forma, patet dumtaxàt figura, meritorum qualitate, & geſtu cercophiteci, ridiculi ſine cultu, & ornatu plus ridiculi: Ludit fortuna ſævè, & adinſtar Eutropeli Voluminij,

Horat. 1. Epiſt. 18 v. 32.

—— *Cuicumque nocere cupiebat,*
Veſtimenta dabat pretioſa.

Dum extollit fortuna ridet & ludit.

Ut conſtaret quid eſſent, cùm nudi fierent, & videretur horror, qui dudum ſplendor: cùm vanum deſipientem, attonitum Neméſis expulsà fortunà allidat; dum ille crotalis & crepitaculis,

Attingit ſolium Iovis, & cœleſtia tentat.

Idem Ibid. 17 v. 34.

4 Exemplum huiuſmodi præſumptionis, atque fatuæ barditatis, obijcit Stoicus in Cn. lentulo, penitùs ſtupido, ſed uſque ad inſaniam ex vecordia philauto, ubi aſſumptus in honorem; cuius culmine ſenſus oſtendit abſurditatem. *Cùm enim eſſet avariſsimus; numos citius emittebat, quàm verbum. Tanta illi inopia ſermonis. Hic* (infit, 2. *Beneſic.* cap. 27.) *cùm omnia incrementa ſua Div. Auguſto deberet, princeps iam civitatis, & pecunia & gratià; ſubinde Auguſto ſolebat queri, dicens: A ſtudijs ſe abductum. Nihil tantum in ſe congeſtum eſſet; quantum perdidiſſet, relictà eloquentià. At illi inter alia hoc quoque D. Auguſtus præſtiterat, quòd deriſu ac labore irritò liberaverat.* Pridem neſciebatur, an eſſet vocalis: iam Cicero factus, factus Princeps. Quid non futurum, dum balbus pecunia pervenit in principatum? Scientiæ poſsidet clavem, qui aureis & aureis aſſumitur ad honorem. Habet in aureis ſplendidiores litteras, tametſi numquàm frequentaverit ſcholas. Quid, ſuffragante avaritià, ſi conferantur contentioſè dignitates; dum in eius viridario, inſcripti nomine regum, naſcuntur flores? Suas, dignitates & culmina dicit: nec ſine iure. Emit. Dat cenſus honores. A dignitatum ſchola infuſa univerſalis ſcientia: numiſque eloquentiæ moderatur florens cathedræ; qui pridem neſciebat loqui. Seſe cognoſcit ſtipitem, ſtolidum, hebetem ad litteras; ſed ſufflat philautiæ vanitas, quaſi ni dignus eſſet, in maieſtatis ſedem non perveniſſet: quæſtus de collata dignitate; dum ſtudijs (qui prorsùs inhabilis) quibat ampliorem habere. Unde vanus, præſumptuoſus merita cogitat (ut pompoſus ſeſe plaudat ſine ſtudijs ſuperiorem & ſublimen) quippe ex honoribus poſsidet meritorum dignitatem. Penitiorem prætermitto aciculam, ne malè audiam. Hi ſanè & ſupervacuè obſervant vanitates, quia ſine meritis: etenim ſi ſcientia inflat; iram ex abrupto etiam cordatorum provocat videre in potentatibus huiuſmodi monſtra quorum inflatio horribilis & feralis ſine ſcientia. Ita uſque in faſtidium auditur. Stultus fatua loquetur. Malum capitis, & (ut ſuccinit Verinus, *Epigram.* 301.)

Senec.

Bardus ſecredit ſapientë per fortutum honorem

Poſsidet litteras pretioſiores in tugellis.

Plures honores habentur, modò emantur

Mali caput eſt: tam miſer, quòd miſer ipſe
Cùm ſit, ſe miſerum non tamen eſſe norit.

Verinus

5 Carpit iſtiuſmodi nebulones Bernard. de *Officio Prælator.* à cap. 7. & n. 25. *Stupenda inſania! Ubi docetur, ubi continetur; ut hoc faſtu delectari Monachus, has quærere debeat dignitates? Quàm multa moveor dicere adverſus impudentiſsimam præſumptionem! ſed frenat impetum, auribus occupatis ſcribere. Quomodò tamquàm unus ex illis, manens inter humiles ſuperbus, inter ſubditos rebellis immitis inter manſuetos? Videamus, tam exhibere paratum, quàm exigere obedientiam. Videamus, tam libenter Præpoſitis obtemperare ſubiectum, quàm imperare ſubiectis. Humilitatis excellentiam tantò magis vobis arbitror neceſſariam, quantò maior noſcitur materia ſuperbiendi. Genus, ætas, ſcientia, cathedra, & quod maius eſt, primatus prærrogativa; cui non inſolentiæ fomes & elationis occaſio?* Hoc eſt quod Magiſter dicit, *Elationem fugere?* Ita *Regul. S.* cap. 4. Non hoc fugere ſed quærere: igitur meritis auctoritatis, atque dotibus honoris ſine meritis, fovetur corpore ſine pectore, pectorève ſine corde impudenter arrogantia; ſine genere, ſine ætate, ſine cathedra nec ſcientia: fervente ſcientiarum faſtu eorum tumido cerebro, qui in cunctis obtuſiores & retuſiores piſtillo: naſturtiò profectò egentes, ut vel inſenſibilia diſcant emungere nares. Hinc ut accinit Æſchyl. in *Prometh.* v. 805.

Bernard

S. Bened

Faſtoſi prædignitate deſcriptio.

Miraculum incredibile, quercus loquax.

Æſchyl.

6 Unde huiuſmodi in iactabundam pompoſitatem prurigo? Ex ſcabie ludicræ maieſtatis in ſolio. *Pro Domino venerari volunt* (inquit Gregor. Magn. 24. in *Iob*, cap. 14.) *intùs ſe tumore cordis extollunt, cunctoſque ſubditos in ſui comparatione deſpiciunt::: Communia hæc mala ſunt, quia & omnes ſubditos, hi qui præſunt, minùs quàm ipſi ſunt ſapientes, arbitrantur. Unde fit, quòd Rectores minùs prudenter ea quæ agenda ſunt, videant; quia eorum oculos ipſa nebula elationis obſcurat*; ſubdit ibid. *lib.* 25. *cap.* 14. Adi hic *Tautolog.* 8. *à n.* 13. & dicta *Tom.* 7. *T.* 6. *D.* 6. *à n.* 4. Hic, eſtò non cognitus error, plerumque furor. *Magna prudentia* (ait Caſsiodor. 8. *Variar.* Epiſt. 9.) *quam nemo ſic aſſequitur, ut eam non neceſſariò per alios quærere videatur; ſi à maturis in commune quæritur, quod omnium utilitate tractatur. Solatium curarum frequenter ſibi adbibent maturi Reges; & hinc meliores æſtimantur, ſi ſoli omnia non præſumunt.* Si phantaſiæ læſæ vana præſumptio, decreta carent iudicio; verùm cùm ſeducantur dignitatum inſulis (ne videantur precario regere dignitates (ut per fas & nefas exerceant, dum licet, auctoritatem; ſuſque deque faciunt, ſequi in iudicijs, ſine iudicio furorem.

Greg. Magn.

Unde omniſcium ſeſe ſomniat?

Caſiod.

Prov 10 4.

7 *Qui nititur mendacijs, hic paſcit ventos*: dicit Salomon. Quid ſit ventos paſcere, & paſci ventis; diximus *Tom.* 1. *T.* 1. *D.* 1. *n.* 9. At ſcrutandum, cur qui mendacijs nititur, paſtus ventis; ventos paſcere, ſignatur? Mendacia fortunæ (ut vidimus, *n.* 3.) ſunt fortuiti honores; qui occurrunt indotatis ſine meritis. Unde Seneca *Epiſt.* 42. huiuſmodi futilem ſplendorem, volaticam vocat avem, quam plumà ſtupidus tenet; quia caudam remittit, & fugit. Haud aliter habetur, qui ſic mendacijs fortunæ nititur: ventuſque ab illo paſcitur, in quo præſignatur vanitas, dum inflat dignitas; ut vel ineptijs ſubſiſtat in maieſtatem auctoritas, nutrito oſtentationis vento, & conciliato ludibrio: igitur ita deſipiens urgetur à vanitate (ſtimulatur poteſtatis prurigine in ſemel concepta ab inflata per inſulas phantaſià) ut licèt temeritatem & præcipitium ex errore cognoſcat; cognitione deliret, ut ventum honoris indigniſsimè paſcat. Vividiùs vernaculè: *Conoce en el atentado proceder la ſinrazon; y proſigue el deſatino, por ſuſtentar con ayre la vanidad.* Hoc opus præ dignitate tumidi, & inflatione infatuati; aliquid ſe cogitantis, ex vento honoris, ex quo nititur mendacijs: quandoquidem qui maieſtatis inſularum dignus; in honorem aſſumptus, paſcit; ſed non paſcit ventos. *Sic ſuperbi paſcuntur honore* (inquit Alapide) *& tumidà ſui opinione inflati & turgidi incedunt*: ita mente mota, vel cogitata ſine conſilio dementia; ut perſiſtant iactabundè in temeritate erroris, propter faſtum atque paſtum vanitatis: decernantque: ex pace lites.

Paſtus à vento vanitatis, ventos paſcit.

Alapid.

Legeſque novas ſcribere ventis.

Seneca in *Medea* v. 319.

8 Permulti ante aſſumptionem, uti Saul, videntur digni ſublimiore maieſtate. *At eſt, qui ſtultus apparuit, poſtquàm elevatus in ſublime.* Sublimitas evacuavit cerebrum, & dignitate apparuit, non fuiſſe dignum: etenim fortunæ mendacijs, quia ſine dotibus; pro illo apparuit in throno ventus & ventus: quo inflatus totum honorem ex honore convertit in futilem vanitatem. Se non noverat? Utique, ſed ſe non noſcit. Ideo deſipit. Profectò ſapit. Cur ergo ſi prudens ante aſſumptionem, in aſſumptione deliquit, etiam cognitione erroris? Tractus eſt *funiculis vanitatis*: dicit Propheta. In throno conſtruunt & deſtrunt; contrahunt & diſtrahunt pro libito poteſtatis extra tenorem legis, & regulas iuris. Videtur delirium, cæterùm quod factum, factum. Non eſt ius: verùm fixum, quod locutum eſt. Non eſt pœnitentiæ locus, nec in honore reſipiſcentiæ tempus. Dedecoraretur honoris maieſtas, modò propoſiti revocaretur pravitas. Priùs & maioris ſplendor throni, quàm ſalus vulneratæ conſcientiæ. Nonne illuminat mentem fulmen rationis? Ain mi homo. Trahuntur funiculis vanitatis: & incumbunt in temerarium delirium propter vanitatis nutritionem & paſtum: etenim pro maieſtate ſuperborum ſcopus, in dignitatis plauſum paſcere ventos. At quænam Prophetæ minæ? *Væ* (ait) *qui trahitis iniquitatem in funibus vanitatis.* Claret quàm voluntaria inſolentia: vanitas ipſa non procedit niſi tracta: equidem dignitas non influit in ventum; ſed ipſi inſolentes ex dignitate contrahunt. In ſplendorem honorum, diligunt gravi corde vanitatem, ſolicitantes mendacium: *Væ*que dicit Propheta, utentibus ſine ratione, ratione agendi politicà; quippe infelices, qui honore vaniſsimo honoris, pro pœnitudine criminis, crimina contrahunt funiculis vanitatis. Quibus nulla diſcretio iudicij vel in iudicio, non eſt in vanitate vanitas, ſed deſipiens ſtoliditas; quippe dumtaxàt thraſones exercitio ac abuſu dignitatis. At in quibus eſt ſcientia, prurit honoris calamitoſa malitia: quandoquidem lamentabiles, infauſti, atque digni Væ, cùm ratio vigilans ſit; cognoſcere plenè ex dignitate iniquitatem criminis, & pro honore in crimen trahi funiculis vanitatis. Hinc fugienda deaurata in cladem inſidioſa maieſtas, ne repat latens perfidioſa vanitas.

Prov. 30 32.

Idem in illo dignitas & vanitas.

Iſai. 5. 18.

Ibid.

Modò perſiſtit vanitas, licitum nefas.

9 Sed narro fabulam ſurdo. Pectori ex dignitatibus non nocet inflatio: etenim eſtò inflent, non deludunt, dum attolunt. Refragatur cogitationi Stoicus. *Itaque* (infit *Epiſt.* 66.) *ſpecioſa & magna contrà viſentibus; cùm ad pondus revocata ſunt, fallunt.* *illa*

Senec.

Illa quæ temerè laudantur, inflant inanibus lætos. Munera magna & ſpecioſa fallunt; verùm faſtoſi læti inaniter falluntur: equidem ſine meritis, qui ſibi videntur divites, honor dimittit inanes, & intolerabiles cunctis. Eluxit in C. Caligula huiuſmodi ex dignitate adiatrepſia. Tonavit, & ut ſubditis noteſceret ex imperio quanta vis; Iovi dixit: *Quorsùm hæc? Palam certaminis pugna; ut tibi de me, vel mihi de te victoria.* Ita Suetonius in eo, *cap.* 23. Excors, vecors & effrons in faſtigio; minùs homine, dum ſibi videbatur pluſquàm homo. *Quanta dementia! Putavit, aut ſibi noceri ne à Iovi quidem poſſe; aut ſe nocere etiam Iovi poſſe* (ait Seneca, 1. de *Ira*, cap. ult.) *Ultimæ enim patientiæ viſum eſt, eum in ſolio ferre, qui Iovem non ferret. Non eſt magnitudo, tumor eſt. Omnes quos vecors animus ſupra cogitationes extollit humanas; altum quidem & ſublime ſperare ſe credunt: cæterùm nihil ſolidi ſubeſt, ſed in ruinam prona ſunt, quæ ſine fundamentis crevere.* Nec elatis cogitatio Numinis occurrit in obicem: ſe cogitant pluſquàm Numen: & ubi ſplendore indignæ maieſtatis attonita evaneſcit mens, ſine fronte mirà audacia ponunt in cœlum os ſuum. Noſtrates: *Si la vanidad reyna, no ay Dios que valga.* Effrenis enim & furioſus quiſquis dignitate inflatus.

Arrogantia Caligulæ. — Sueton. — Senec. — *Elatus per honorem ſe ſomniat Numen.*

10 Solis in cœli regimen aſſumptio conſideranda, ut in & ex munere ſupervorum cognoſcatur inſolentia. Super terram fuiſſe fabricatum, dixi non ſemel ex Sinaita. Unde in ſublime aſſumptus, dictus *Luminare maius*: cui elector tantum ſplendorem contulit, *ut præeſſet*. Præfuit, fulſit. Illuminatione claruit: iureque dotium ſplendor ſuffragatur in altiorem dignitatem, ſi egregiè cedit in aſſumptæ dignitatis ſplendorem. In terra ortus; & dum præeſt, luminare plauditur, & extollitur uti luminare maius. Dignitates propter ſubditorum dependentiam; neſcio quo, conciliant gratiam: nonnunquàmque qui præſidet ſignatur cum ſplendore; quantumvis erigatur de terræ pulvere. In terra ortus, verum in præſidentia terrà maior, quippe aſſumptus. Claret, quot in terra natus, & terræ genius. Vernaculè: *Villano, de baxo nacimiento.* Terra unde principium, non valet continere, ex collatæ dignitatis extenſione; quo videtur frequens conditio turgidi & inſolentis, ex precario ſplendore dignitatis, ubi in cœlum aſſumitur, & aſſumptione uſque in faſtidium extollitur: igitur quem ſine præſidis munere pars continebat telluris; honore collato, capere non valet orbis. Energicè ac ſubtiliter Hiſpano acumine, vulgarique phraſi: *Quien como particular, aun no ſe hacia lugar en el campo Damaſceno; Superior, no cabe en todo el mundo.* Non mirum, ſi locus nativitatis eſſet cœlum, quod continet orbem ſubditum. Irregulare, ſi terra non continet ex qua in præſidentiam prodivit. Cognoſcitur unde, dum elevatus inde, regiminis extenſione: equidem ſignum vanitatis, inflationis & inſolentiæ ex dignitate nactà; quod ferre ſubditi non poſſent in tota terra.

Gen. 1. 16. — *Splendor eſt dignitati, electione digni.* — *Qui vilis quo altius ſublimatur magis extenditur.*

11 Inſulis crepitantibus extenduntur, & fumos vendunt. *De naribus eius procedit fumus*: diabolum pingens, alloquitur Iobus. Sic inflatorum auctoritatis maieſtas, directa tantùm in ſubditorum lachrymas: igitur ubi huiuſmodi fumi ex ſublimitate honoris; non Superiores, ſed dæmones. Verùm quare eiuſmodi inflatio confertur fumo? Fumus vix oritur, quùm aſcendere conatur. Sursùm ſurgit, ultrà aſcendit. Quò ſuperiùs, plus ſpargitur: quò ulteriùs, magis extenditur (Dialecto noſtrâ: *Mas ſe enſancha, mas ſe abueca*) ut per extenſionem rarefactionis, amplioris ſit vacuitatis: fumuſque ſit propriè vanitatatis inſolentis typus, ubi ex ſiſtris infulatis honoris procedit fumus; ut pateat quàm audaces & inſolentes, qui turgidi ex fumo honoris: ſiquidem quò plus aſcendentes extenduntur, magis inflantur; quantumvis diſtenti inflatione diſſipentur. Huiuſmodi origo ruinæ prodit è ſuperbiæ pede. Unde precatur David: *Non veniat mihi pes ſuperbiæ.* Superbia monopes? Utique ſuperbi non valent erigi in pedes. Plura diximus, *Tom.*1. *T.*1. *D.*12. *à n.*15. At intendendum ludo, quippe fortuna ludit ſæva negotio. Inter Romanorum & Græcorum ludos, celebrabantur *Aſcolia*; de quibus in *Ephemerid.* 12. *Ianuar.* n. 3. ex varijs AA. In illis *cernuatores* (ideſt, prono capite) & *Aſcoliaſtæ, qui uno pede in utrem inflatum & innuncium (ut lubricus eſſet) inſilerent; quibus ſæpe accidebat ut laberentur, non niſi riſu ſpectantium*: ait Iul. Cæſar Bulenger. 1. de *Theatr.* cap. 38. & Virgilius, 2. *Georgicor.* v. 383.

Iob 41. 11. — *Cur fumo ſimilis.* — Pſal. 35. 12. — *Qui ludus Aſcolia?* — Buleng. — Virgil.

—— *Inter pocula læt.*
Mollibus in pratis unctos ſaliere per utres.

12 Ludunt ſuperbi iocum Aſcoliæ, dum gaudent unico pede: igitur cùm ſuper lubricum ponant (ut læti ſaliant) aſcendentes concidunt, & ſpectantes lætantur; quoniam illorum lapſus, populi riſus. Per ſaltum aſcendere cupiunt, non ſe movere per greſſum; ubi non eſt ullùm fulcrum, ſi labatur pes eorum & tamquàm in Aſcolijs, pes

Cur ſuperbia monopes?

pes unicus ſignatur inflationi vanitatis, quo ſecura ruina, dum conatur aſcendere in ſuperiora; quoniam lubrico ſitu ibi propter inflationem, ceciderunt qui operantur iniquitatem. *Per ſuperbiæ*, non pedes, ex utre inflato dominationis; ex quibus ſi unus ex vacuitate fallitur, alter, ne caſus veniat, ſufficitur: & non pedes ſed pes dumtaxàt datur inflatis, dum ſuper ventum ſolicitant maieſtatem extenſionis, tendentes in ruinam; quippe unico pede numquàm valent calcare ſuperbiam. *Pes ſuperbiæ*, ſed in aſcenſionem; igitur non movent pedem niſi in præcipitem ac lubricam vanitatem: in quam unico inſtabili pede œſtro oſtentationis percupiunt aſcenſum; eſtò cognoſcant lapſum, alliſionemque corporis & in riſum. Ibi aſſumi, atque perſiſtere arrogantia ſolicitat, quò nihil conſtat; ut ſtendatur ex periculis principatus maieſtas, & in ampliora concilietur auctoritas; quæ numquàm evaneſcat, ſed inſolenter ac iactabundè perſiſtat in lubrico vanitatis, ſuperemineutia honoris. Ita florent, nec iacturam timent: & tamquàm in Aſcolijs, pes unus datur ſuperbiæ, vanitatis extenſione; quoniam ex lubrico expulſi, neque potuerunt ſtare. Audiatur Iuvenalis, *Satyr.* 10. à v. 46.

Inflatus quærit aſcenſum in lapſu.

Quoſdã præcipitat ſubiecta potentia magnæ
Invidiæ, mergit longa atque inſignis honorũ
Pagina: deſcendũt ſtatuæ reſtemq̃ ſequuntur.
Tunc quoq̃ materiam riſus invenit ad omnes
Occurſus hominum.

Iuven.

13 Nec præcipitijs infatuati gloriabundi reſipiſcunt; ſed magis pondere vanitatis infatuantur. A Demonacte cuidam (qui indutus purpura ſe inſolentius oſtentabat, & ſtupidus erat) dictum in aurem, refert Eraſm. *Apophthegm.* lib. 8. n. 37. *Heus tu, Hoc ante te geſtabat ovis, & ovis erat.* Oſtendebat ampliorem culta pretioſo inſipientiam, ubi in commendationem inſolenter demonſtrabat purpuram: igitur ad merita, dignitatis infulæ, parvi vel nullius momenti. Sùnt filamina & veſtes, nequaquàm dotes; ſi ad phroneſis pondus, qui gloriabundus in ſtatera iudicij inventus eſt minus habens. Qua de cauſa Plautus, in *Menechem.* 3. Scen. 2. v. 30. ait:

Eraſm. — *Sine dotibus infulæ, nullius momenti.*

Stupide, quot pondo te eſſe cenſes nudum?

Plaut.

Nudus ſine meritis indignus: dotibus, eſtò ſine veſte dignitatis, eſt ornatus benemeritus. At ſi deficit oſtentatoribus ſuperioritatis munus; O Nemeſis vindex! *Nudos ſpoliaſti veſtibus*: apparentque entirate & ridiculi Pyrgopolinices, & propriâ formâ deformes; quippe tota in figura oſtentationis ſubſtantia, ex phaleris dignitatis: equus ſiquidem & mulus quibus non eſt intellectus.

Iob 21. 6.

Quid, ſi vidiſſet Prætorem curribus altis
Extantem, & medio ſublimen in pulvere Circi
In tunica Iovis? Humana negotia ludi:
Et magis oblectant, animum iactata petauro
Corpora; quique ſolent pravum deſcendere funem;
Alternoſque cient motus, elatus & ipſe
Nunc iacet, atque huius caſu ſuſpenditur ille.

Iuvenal d. à v. 36. & 14 à v. 265. — Manil.

Subdit Manilius, 5. *Aſtronom.* à v. 449. Hic Ioſeph. Scaliger. & Mercurial. de *Arte gymnaſtic.* lib. 38. Seſe periculo obijciunt, præcipites eunt, & mutuò plaudunt; quippequàm in aëre ludunt. Vernaculè: *Son Tyteres en columpio*: Ita ſplendore adorationum & veſtium nitelis allucinati; ut ſolummodò intendant oſtentationi.

Cur indigni dicantur Petauriſtæ?

14 De Nabucho dicitur ob huiuſmodi ludicram, futilem cænodoxiam; quòd fecerit *ſtatuam auream*, quaſi re verà foret, quod ſomniaverit; quin revocaret in reſipiſcentiam vacuum maieſtate cerebrum, huiuſmodi figuram & eſſe atque fuiſſe ſomnium. Fecit ſtatuam, dedicavit: quippini erexit: Erat ſtatua, erigi indigna: dedecetque maieſtatem ſtatua erecta. Statua per ſe non valet ſubſiſtere. Hinc indigni in munere ſunt ſtatuæ. Propter adorationem eriguntur. Si ſubſiſterent per ſe, nequaquàm erigerentur. In adorationes homines per merita fiunt: erectiones ſine dotibus non faciunt. Adoratur, qui per ſe, haud quia dignitate fit: & qui tantùm Superiorum imagines, ſtatuæ demonſtrantur erectæ; quippe Superiores facti, haud quia Superiores digni. *Imaginem ipſorum ad nihilum rediges*: dicitur à Davide. Ubi tantùm in ſpecimen maieſtatis oſtentatio, in imagine proculdubio tranſit homo. Homines ſunt, & non ſunt homines; quippe dumtaxàt imagines, qui infulis ſuperiorum habent erectione ſpeciem, in honoris ſublimis oſtentationem. Græcè *Doriphorema*, quaſi in comœdia perſona muta. Caſaubon. in *Sueton. Claudio*, cap. 28. & in *Alexandr.* Plutarch. vocant *Regiæ maieſtatis ſimulacrum & effigiem, mutam ornatam imaginem*: igitur nihil habent præter repræſentationem; quia larvæ & ſtatuæ erectæ, ſed ſtatuę, oſtentantes dominium, dum fiunt adorantibus ſpectrum. Imò nec imago turpidine vanitatis, ſed in in formidinem,

Daniel 3. 1. — *Et ſtatuæ.* — Pſal. 72. 20. — *In ſolis ſpectra.* — Plutarc.

Sine imagine moles.

15 Sic enim ſtatua aurata Nabuchi, ut eius auctoritas in imagine, quæ dicebatur imperij magnificentia, & penitùs gloria vana:

Ovid. 1. Faſt. v. 114.

Totum illorum conamē in vanam oſtentatione & apparentiam maieſtatis umbra repræſentationis.

na: ſpecieſque vanitatis dumtaxàt erat ſtatua deaurata ſpecies: in repræſentatione ac apparentia totum repræſentatio, abſque ullo repræſentationis modò; quia tota moles auctoritatis imago, in ſtudium iactabundæ adorationis, & potentis maieſtatis ſine ſucco: etenim faſtus & faſtus, repræſentatio, oſtentatio, vacui cerebri, atque muneris oſtenſio. Statua ſed non ſolida, quia introrsùm vacua. Ita qui inflantùr, ut erigantur, dum in ſolium eriguntur: equidem indicant ex ſpecie extrinſecæ oſtentationis, nihil interiùs habere ſoliditatis. Noſtrates, quod aëre extenſum, vacuum dicunt & cavum; quoniam ubi non ſolidum corpus; ventus & ventus., *Hueco, vacio.* Riſus excitatur, quùm ſiccine inflatus; ut deaurata ſtatua, præ celſitudine erigitur: igitur omninò riſibile; quòd quia extenſus, & turgidè, glorietur de vacuitate. Vernaculè cum ſale & pipere. *Era coſa de riſa, que por ſolo la repreſentacion, eſtuvieſſe tan hueca.* Sine corde vacuum pectus, atque vacuus inflatus, & interiora cava; quoniam, ut ſtatua, pro ſola repræſentatione erecta. In ſtatua elucet unde origo cavitatis; cæterùm latet in vacuitate propter vanitatem & elationem hominis: equidem creperum, an vacuitas imaginis, erectionis inſulis ex repræſentationis apparentia; an repræſentatio ex imagine vacua? Arbitror ex interiore pectore vacuo oriri futiles ac reſibiles ræpræſentationes erectionis in throno. Viſcera præ flatibus rumperent, ni ventum vomerent: & ab imo læſo pectore, oritur inflatorum vertigo phantaſiæ; quippe per ipſas inanes vanas repræſentationes, oſtentant cerebri & pectoris interiores vacuitates. Ita erumpit ſincipite vacuo ventus; quin vel puncta,

Qui intùs meritis vacui interiùs ſtudent æſtimationi.

Claud. Epigr. 8.

Laxet terribiles maieſtas regia faſtus.

16 Amplius eſt in malo elationis malum, dum capitones contentiosè ſequuntur ſemel propoſitum. Errant uſquequaquè. Quid ſi ex arrogantia ſtolidi? Errant, in regimine delyrant. Erraſſe cognoſcunt; ſed erraſſe nec dicent, nec dicunt. Pro reſipiſcentia ſufficitur contra iura ſine fronte pervicacia; frangentibus etiam inviolabiles leges, ne appareant præ maieſtate in erroribus errores. *Quò non perveniat ſemel effrenata temeritas? Ecquid* (exclamat Hieronymus, *Apolog.2. in Ruffin.*) *in homine tutum ſit, ſi innocentia criminoſa eſt?* Perſcrutemur huius malignitatis ingenium, in excuſationem in uno plurium errorum; quia crimen ut deauretur vocat crimen & error errorem: quo qui vanitate Præſides, non Præſides, ſed poſtifices. Non ſecùs in paſſione Domini N. lictores. His callidè ſecretòque inſinuarunt Pontifices & Principes Sacerdotum (conſiderantes iuſtum, & quærentes mortificare eum) ut quoad liceret, Domini in paſſione illorum furor ſæviret: ita ut illi cruciamina gravarent paſſionis; verùm lateret, quòd præceptum ab illis, ſatiato per pravos miniſtros inſatiabili odio, illæſo manente auctoraminis iudicio: quippe modò pateret in innocentem crudelitas, eorum profectò deturparetur auctoritas; cum eſſet vehementior ira, aſtu palliata clementia. Verùm hoc fusè *Taut.8. D. 3. à n. 6.* Fecerunt ergo carnifices, uti præceperant in Synagoga Præſides: iubenteſque Salvatorem extendi, ad terebrandum lignum iuxta menſuram corporis, pravitate pectoris, in acriorem pœnam, terebræs efformarunt ultra corporis menſuram. Adi Mariam à Ieſu, in *Civitat. Myſtic.* Tom.2. lib.6. cap.22. n.1382.

Hieron.

Luc. 23. 33.

Clementi palliata, maior ira.

17 Defecit in hominibus humanitas, quia prævalebat malignitas; converſis in dæmones ingenio crudelitatis. Non aliter pravorum Superiorum acumen, ut in perplexitate interficiant innocentem: igitur extremorum quodcumque arriſerit, pœnas luet. Pende, quid ſi Superiores, lictores, fæces reipublicæ. Si Chriſtus non obediebat, quoniam terebelli foramina ultra ſtaturæ menſuram; in acrius ſupplicium, arguebant in obedientiam. Si præcepto malignantium obtemperabat, aliud vellicabat cruciamen, ultra crucem: quippe ut in illa brachia, adæquarent terebræ; neceſſarium diſtendi, vel disiungi. Lex ſignabat in clavos; ligni cava; iuxta modum ſtaturæ: & carnifices, quia ſuperiores, legis colore pravè deficiunt à lege; quoniam ſequentes iudicij tenacis terebram, ſine menſura legis, legis ſignabant menſuram. Sæpe utimur in præſenti Didaſcalia dialectis Hiſpanis, quippe ad argumentum vividiores Auſonijs. *Todo và à ſu medida, con regla fuera de regla: ſin ley, mas tomando el ſobreſcripto; porque no ſe conocieſſe ſu varreno: y para crucificar innocentes las medidas ſe toman; porque por ſu varreno los deſcoyuntan.* Denique. Ne Principes cognoſcerentur erraſſe, iubent Chriſtum ſine cauſa crucifigi. Erraſſe norant, & à legibus pervicacià deſciſcebant: & in innocentiam illorum procedit furor; quia dedecus maieſtatis, quod cognoſceretur error. Ultra menſuram nutu illorum foramina ligni facta (ut non solùm Salvator vitam doloribus perderet, ſed mori ſentiret) malitià per miniſtros prævalente, extenſo legis velamine. Errant, ſed adhuc inſtant.

Artes malignitatis ex odio Præſidis.

Ne illorū cognoſcātur temeritates, erroribus defendūtur errores.

Innocentiam, cognità iudicij temeritate gravant. Nequeunt defendere maieſtatis delyria: & errores per terebram dicunt iura; quippequàm ni deaurarent, errores ſpectatores tanti ſupplicij cognoſcerent: & propter ſemel cerebri pertuſi & vacui conceptam pravè ſententiam, fovent acuentes audaciam; ne evaneſcat faſtus, atque langueſcat auctoritatis decus, vel turpitudine patentis erroris, vel iugulatà per legem inflatione maieſtatis. Noſtrates: *Siguen, y proſiguen temerarios en ſus hechos, conociendo que es delyrio, por llevar adelante ſu varreno.* Sic plerumque ante crucifixionem equuleus innocentiæ, ex quo dolor maior cruce; facta ſine menſura in cruciamina terebra, ex maieſtatis phantaſia.

18 Hac de cauſa Principes auctoritate tumidi, pro accuſatione uſi ſunt auctoritate; quaſi ſat in crimen, quod illi, qui primates accuſarent; velatà malignitate, atque voluntario errore, veneranda prorsùm lege; ubi dicunt: *Secundum legem noſtram debet mori.* Quando morietur & peribit nomen eius? Non indicatur lex, & verè dicitur Lex noſtra; quia illorum lex à cerebri terebra, illusà & læſa ex vanitate dominationis phantaſia: qua defendebant propugnantes errorem quaſi virtutem; faſtumque dignitatis faciebant legem. *Procacitatem, diſertitudinem* (infit Hieronym. ubi dudùm, *Apolog.3.*) *bonæ conſcientiæ ſignum arbitrantur. Falſa congerere, dicere, vel audiſſe vel vidiſſe, quæ nullus norat; ut apud ignorantes impudentia veritas, & furor conſtantia putaretur.* Non ceſſant ſi ſemel incipiunt. Ex lege propria, quæ ultra legem. cuncta metiuntur. Nullam extra propriam cogitant legem. Iniuriam quia fecerunt, faciunt. Minoris ducendus innocentis honor, quàm maieſtatis error: novamque ingerunt ex faſtoſa auctoritate vel in iudicio calumniam; ut conſtantià accuſationis indicent in iniurias fœcundam habuiſſe cauſam: & apud patria viſcera ignorantes eluceat pro veritate procacitas, celebretur regula iuris malignitas; ſimulque pro lege, dignitatis auctoritas, & pro iuſtitia faſtus indigni throni Maieſtas. O miſeri! Elatio detrudit in huiuſmodi irrevocabilia præcipitia; ubi merita arbitrantur faſtoſi honoris nacti filamina. Quis videſis ſine poteſtatis infulis; etenim tædet, eò ſuperior, quò magis inhabilis. *Fortunam tuam preſsis manibus tene* (ut dixere Alexandro Magno Scytharum legati, de quo Curtius in eo, *lib.7.* cap.8.) *Lubrica eſt, nec invita teneri poteſt. Salubre conſilium eſt, prudentiam & modum ſequi, quam præſens tempus. Impone felicitati tuæ frænos, & faciliùs illam reges. Sine pedibus noſtri dicunt eſſe fortunam, quæ manus & pennas tantùm habet. Cùm manus porrigit; pennas quoque comprehendere, non ſinit. Stultum eſt, eorum meminiſſe, propter quæ tui obliviſceris.* Etiam Fortuna in arrogantiam faſtoſam,

Ioan. 19. 7.

Hieron.

Proſequūtur iniuriam, ut videatur in factis habuiſſe cauſam.

Q. Curt.

Imago fortunæ.

Mātuan

Fulmen habet dextra maieſtatemque tremendam.

Caveat, qui in lubrico fumat. Fugiat culmen, indignumque in aëre ſolium, qui renuit lapſum, & prævidet præcipitium.

Crucius in Pſ. 33

Ne faſtuoſum illum ferat inſolens
In caſtra ventis fœta ſuperbia.